

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0030

0028

0034

0024

0039

0019

0079

0129

0529

1029

Ende

Anfang

De Officio divino et expulsionem peregrinorum ab ecclesia dominici sepulchri.

(B) Interim militibus creatis incepimus celebrare et peragere Officia divina, et in loco inunctionis Domini habui, ibique de S. Alexio, cujus instabat festivitas, celebravi, quia verus peregrinus fuerat, et clara jam facta die laetissimum cantavimus Officium in dominico sepulchro de resurrectione Domini, sicut cantatur in die paschae. Post quod venerunt Sarraceni, nosque ejecerunt modo dicto fol. 121 B. Et unusquisque contulit se ad locum suum, et noctem sequentem egimus in monte Oliveti, occulte tamen, orantes et quiescentes in specu agoniae Mariae, ante autem lucem claram in montem Syon reascendimus ad Missas.

De transitu peregrinorum a Jerusalem in montana Judaeae ad domum Zachariae, ubi Maria salutavit cognatam Elisabeth.

Decima octava die mane venerunt ductores nostri cum asinariis et asinis in montem, et convocatis peregrinis omnibus sedimus super bestias nostras et de Jerusalem egressi sumus ad australem plagam cum magna festinatione, et in montana Judaeae processimus per vias asperas. Sunt enim montana illa aspera quidem et petrosa, sed fructuosa, fructibus et ficibus et olivis plena. In his pervenimus ad domum quandam, in alto situatam, magnam et altam, destructam, quam tamen dicunt fuisse domum sancti senis Simeonis, qui Christum in ulnis suscepit in templo Domini, Luc. 2. Haec domus multa habet testudinata habitacula, et in ejus summitate est respectus ad Jerusalem et ad Bethlehem. Juxta hanc domum hymnum Simeonis decantavimus: Nunc dimittis etc., et indulgentias recepimus (†). Et inde progressi in vallem valde fertilem descendimus et ad locum declivem inter macerias processimus. In illo monte aedificaverunt Macchabaei fortissimi fortalitium valde munitum contra incursum gentium, dictum Bethsura, id est, domus acerba, sive domus fortitudinis. De quo habetur 1 Maccab. 4 et 6 cap. Hoc fortalitium dolo